

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXXII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.114rb-118va)

Et secedentem inde ihesum, secuti sunt duo caeci, clamantes et dicentes. Miserere nobis fili dauid. Et cum uenisset ipse in domum, accesserunt ad eum ceci, et dixit eis ihesus. Creditis quoniam possum hoc facere? Dicunt ei. Vtique domine. Tunc tetigit oculos eorum dicens, secundum fidem uestram fiat uobis. Et aperti sunt oculi eorum.

Commented [ND1]: [fol.114rb]

Quid igitur est, quod attrahit eos clamantes. Rursus hic erudiens nos, gloriam que est a multis expellere. Quia enim prope erat domus, ducit eos illuc, singulariter curaturus. Et hoc manifestum est ex quibus et iniunxit nulli dicere. Non parua autem haec iudeorum est accusatio, cum hii quidem, oculis eis abscisis, ex auditu solo fidem suscipiant. Illi autem contemplantes miracula, et uisum testantem his quae fiebant habentes, contra omnia faciunt. Vide autem eorum et desiderium, et a clamore, et ab ipsa interpellatione. Neque enim simpliciter accesserunt, sed magne clamantes. Et nichil aliud quam misericordiam premittentes. Filium autem dauid uocabant, quia nomen honoris uidebatur esse. Multis nempe in locis, et prophetae, reges quos uolebant honorare, et magnos ostendere, ita uocabant. Et ducens eos, secundam interrogationem inducit. Multis enim in locis, studuit rogatus sanare. Vt non aliquis estimet, propter munificentiam eum ad miracula insilire. Et non propter hoc solum, sed ut ostendat quoniam et digni erant curatione. Et ut non aliquis dicat, quoniam si misericordia solum saluabat, omnes saluari oportebat. Habet enim quandam, et filantropia id est amor hominum rationem, eam quae est a fide eorum qui saluantur. Non propter haec autem solum fidem ab eis expetit, sed quia dixerunt filium dauid, reducens eos ad excelsius, et erudiens quae oportet de ipso imaginari, ait. Creditis quia possum hoc facere? Non dixit quoniam creditis quoniam possum rogare patrem meum, quoniam possum hoc facere. Quid igitur illi? Vtique domine. Non ultra filium dauid eum uocant, sed altius expanduntur, et dominationem confitentur. Et tunc iam et ipse imponit manum, dicens. Secundum fidem uestram fiat uobis. Facit autem hoc, fidem eorum confirmans, et monstrans participes directionis, et testans quoniam non adulationis uerba erant. Neque enim dixit. Aperiantur uestri oculi, sed secundum fidem uestram fiat uobis. Quod multis accedentium dicit. Ante corporum medicinas, fidem quae erat in anima, antea diuulgare studens, ut et illos probabiliores faciat, et alios studiosiores construat, ita et in paralitico. Etenim antea quam stringeret corpus, animam erigit dicens. Confide fili dimittuntur peccata tua. Sed et puellam resuscitans, detinuit, et per mensam edocuit eam, benefactorem. Sed et in centurione similiter fecit, fidei omnia prebens, sed et discipulos eruens ab hieme maris, a modica fide primum eruit. Ita utique et hic. Nouit quidem et ante illorum uocem ipse, ineffabilia mentis. Vt autem et alios ad eundem zelum ducat, et aliis manifestos eos faciat, per finem medicinae occultam eorum fidem diuulgat. Deinde post medicinam iubet nulli dicere. Et non simpliciter iubet, sed cum multa uehementia. Comminatus enim est eis ihesus, ait dicens. Videte nullus cognoscat, hii autem exeuntes, diffamauerunt eum in tota terra illa, non tamen sustinuerunt illi, sed facti sunt precones et euangelistae. Et iussi occultare quod factum est, non tulerunt. Si autem alio uidetur dicens, uade et enarra gloriam dei, non contrarium illi hoc, sed et ualde conueniens. Erudit enim nosipsos quidem de nobisipsis, nichil dicere, sed et eos qui uolunt nos laudare, prohibere. Si autem ad deum gloria referretur, non solum non prohibere, sed et iniungere hoc facere. Ipsi

Commented [ND2]: [fol.114va]

Commented [ND3]: uel honoris amorem *add. super lin.*

Commented [ND4]: *se add. super lin.*

Commented [ND5]: [fol.114vb]

Commented [ND6]: uel infremuit *add. super lin.*

Commented [ND7]: uel in eos *add. super lin.*

autem exeuntibus ait, ecce attulerunt ei hominem mutum demonium habentem. Non enim naturae erat passio, sed demonis insidia. Ideoque et aliis indiget, qui adducerent. Neque enim per seipsum rogare poterat, sine uoce existens, neque aliis supplicare, demone ligante linguam, et animam cum lingua colligante. Propter hoc neque expetit fidem ab eo, sed confestim emendauit egritudinem. Expulso enim demone ait, locutus est mutus. Turbae autem ammiratae sunt dicentes, numquam apparuit ita in israel. Quod maxime mestos faciebat phariseos, quoniam omnibus eum preponebant, non his qui tunc erant, sed et his qui umquam geniti fuerant. Preponebant autem non quoniam curabat, sed quoniam facile et uelociter, et infinitas egritudines, et insanabiliter habentes. Et plebs quidem ita. Pharisei autem contrarium. Non enim solum detrahunt his quae facta erant, sed et contraria dicentes, sibiipsis non uerecundantur. Tale enim est pernitias. Quid enim ait. In principe demoniorum proicit demonia. Quo quid fiet utique dementius? Maxime enim quod et procedens ait, non machinabile est demonem proicere demonem. Suis enim applaudere consueuit, non ea dissoluere ille. **Ips**e autem non demones eiciebat solum, sed et leprosos mundabat, et mortuos suscitabat, et mare **refrenabat**, et peccata soluebat, et regnum predicabat, et patri adducebat. Quae non utique eligeret aliquando demon, neque posset umquam operari. Demones enim idolis adducunt, et a deo abducunt, et futuram uitam non credere suadent. Demon conuitium passus non benefacit. Cum et non conuitium passus, nocet eis, qui eius curam habent, et eum honorant. **Ips**e autem contrarium facit. Post conuitia enim haec, et contumelias, circuibat ait ciuitates omnes et castella, docens in sinagogis eos, et predicans euangelium regni, et curans omnem egritudinem et omnem mollitiem. Et non solum eos non puniuit, insensatos existentes, sed neque simpliciter increpauit, simul et humilitatem demonstrans, et hanc accusationem **arguens** inducere. Circuibat igitur et in ciuitatibus et in regionibus et in sinagogis eorum. Erudiens nos ita retribuere accusatoribus nostris, non accusationes alias, sed beneficia maiora. Si enim non propter homines, sed propter deum benefacis conseruis, quecumque utique fecerint, non desistis benefaciens, ut maior merces sit. Quia qui post accusationem desistit a beneficio, monstrat quoniam propter illorum laudem, sed non propter deum, tali potitur uirtute. Propter hoc christus erudiens nos, quoniam ex bonitate sola ad hoc uenit, non solum non expectabat ad se uenire laborantes, sed et ipse ad illos festinabat, duo maxima eis afferetis bona. Vnum quidem regni eugelium, aliud autem omnium egritudinum emendationem. Et neque ciuitatem despiciebat, neque castellum transcurrebat, sed ad omnem ibat locum. Et neque usque ad hoc stat, sed et aliam prouidentiam ostendit. Videns enim ait turbas, uiscera misericordiae expandit circa ipsas, quoniam erant, uexatae et eiectae, sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis. Messis quidem multa, operarii autem pauci. Deprecamini igitur dominum messis, ut emittat operarios in messem suam. **Vide** rursus humilitatem, ut non uniuersos ad seipsum attrahat, emittit **discipulos**. Non propter hoc autem solum, sed ut eos et erudiat sicut in quadam palestra, in palestina meditantes, ita ad agones orbis terrarum intrare. Propter hoc utique et maiora **gymnasia** agonibus ponit, quantum ad eorum conueniebat uirtutem, ut facilius postea agones tangerent, uelut quosdam pullos molles, ad uolandum iam adducens, et interim eos medicos corporum facit. Postea committens animae directionem, quae principalis erat. Et intende qualiter **facile** hoc monstrat, et necessarium. Quid enim ait? Messis quidem multa, operarii autem pauci. Non enim ad **semen** uos ait, sed ad messem mitto, quod et in iohanne dixit. Alii laborauerunt, et uos in laborem eorum introistis. Hec dixit, et **sapientiam** eorum comprimens, et confidere instruens, et monstrans quoniam maior labor **preassumptus** erat. Considera autem et hic a philanthropia id est amore hominum, incipientem, et a retributione quadam. Viscera enim misericordiae expandit, quoniam erant uexatae et proiectae, sicut oves non habentes pastorem. Haec principum iudeorum erat accusatio.

Commented [ND8]: christus *add. super lin.*

Commented [ND9]: [fol.115ra]

Commented [ND10]: christus *add. super lin.*

Commented [ND11]: falso eos *add. super lin.*

Commented [ND12]: [fol.115rb]

Commented [ND13]: ut et ad ipsos uadant *add. super lin.*

Commented [ND14]: id est exercitationes *add. super lin.*

Commented [ND15]: leue *add. super lin.*

Commented [ND16]: uel seminationem *add. super lin.*

Commented [ND17]: tumorem *add. super lin.*

Commented [ND18]: antea *add. super lin.*

Quoniam pastores existentes, ea quae luporum erant ostendebant. Non solum enim emendabant multitudinem, sed et nocebant eorum profectui. Illis denique ammirantibus et dicentibus, numquam apparuit ita in israel, hii contraria dicebant. Quoniam in principe demoniorum proicit demonia. Sed quos operarios hic ait? Duodecim discipulos. Quid igitur dicens operarii autem pauci, **adiecit** eis? Nequaquam, sed ipsos misit. Cur igitur dixit, deprecamini dominum messis, ut emittat operarios in messem suam. Et nullum eis adiecit. Quoniam et duodecim existentes, multos fecit iam, non numero adiciens, sed uirtutem largiens. Deinde **ostendens** quam magnum donum est ait. De precamini dominum messis. Et latenter seipsum ostendit dominium habentem. Dicens enim deprecamini dominum messis, nichil deprecantibus ipsis, neque orantibus, ipse eos confestim **intronizat**, rememorans eos, et iohannis uerborum, et areae, et uentilabri, et paleae, et frumenti. Vnde manifestum est, quoniam ipse est agricola. Ipse est qui messis est dominus, ipse est qui prophetarum est dominator. Si enim metere misit, manifestum quoniam non aliena, sed quae per prophetas seminauit. Non ita autem eos solum confidere fecit, in messem uocando eorum ministerium, sed in faciendo potentes ad ministerium. Et aduocans ait, duodecim discipulos suos, dedit eis potestatem spirituum immundorum ut proiciant eos, et curent omnem egritudinem, et omnem mollitiem, quamuis nondum spiritus erat datus. Nondum enim erat ait spiritus, quia ihesus nondum glorificatus erat. Qualiter igitur proiciebant spiritus? ab iniunctione eius a potestate. Intende autem michi et oportunitatem missionis. Non enim a proemiis eos misit, sed eum sufficienter consequentia erant potiti. Et uiderunt et mortuum suscitantem, et mare increpantem, et demones abactos, et paraliticum **constringentem**, et peccata soluta, et leprosum purgatum, et sufficientem eius uirtutis acceperunt demonstrationem, et pro uerba, et per opera, tunc eos emittit, et non ad periculosas res, nullum enim in palestina periculum, interim erat, sed ad maledictiones oportebat instare solum. Verum et hoc quod de periculis erat, eis predicit, et preparans eos ante tempus, et in agonia esse faciens, continua de his predicatione. Deinde quia duas coniugationes dixit nobis apostolorum, eam quae **petri**, et **iohannis**, et post illas matheum ostendit uocatum, deuocatione autem, et denominatione aliorum apostolorum nichil nobis dixit, hic necessario catalogum eorum, et numerum posuit, et nomina **manifesta** facit, dicens ita. Duodecim apostolorum nomina sunt haec. Primus symon qui dicitur petrus. Etenim et alius simon erat, qui cananeus, et iudas qui scariota, et iudas iacobi, et iacobus qui alpei, et iacobus qui zebedei. Marcus igitur et secundum dignitatem eos ponit. Post duos enim **uertices**, tunc andream numerat, hic autem non ita, sed differenter. Magis autem et thomam multum deficientiorem eo preponit. Sed uideamus eorum desuper catalogum. Primus symon qui dicitur petrus, et andreas frater eius, non parua et hec est laus. Hunc enim a uirtute, illum autem a nobilitate, quae est secundum tropum id est modum nominauit. Deinde iacobus qui zebedei, et iohannes frater eius. Vides qualiter non secundum dignitatem ponit? Michi enim uidetur iohannes, non aliis solum, sed et fratre maior esse. Deinde, dicens philippus, et bartholomeus, induxit thomas, et matheus publicanus. Sed non lucas ita, sed e conuerso. Et preponit eum thome. Deinde iacobus qui alpei, et qui zebedei. Deinde dicens lebaeum cognominatum taddeum, et symonem zelotem, quae et chananeum uocat, ad proditorem uenit, et non ut inimicus quidam et hostis, sed ut hystoriam scribens ita enarrauit. Non dixit inquinatus et perniciosus, sed a ciuitate eum uocauit, iudas qui isariota. Erat enim et alter iudas iacobi. Ab isto itaque diuidens eum ait, iudas qui isariota, qui et tradidit eum, ita nichil numquam, neque eorum quae uidebantur exprobrabilium esse occultauerunt. Primus autem omnium, et uertex qui inlitteratus et idiota. Sed uideamus ubi, et ad quos eos mittit. Hos duodecim ait misit ihesus. Quales hos? Piscatores, publicanos. Etenim quatuor erant piscatores, et duo publicani. Matheus, et iacobus. Vnus autem et traditor. Et quid ad eos ait? confestim iniungens eis **dicens**. In uiam gentium non abite, et in

Commented [ND19]: alios *add. super lin.*

Commented [ND20]: [fol.115va]

Commented [ND21]: uel consecrat *add. super lin.*

Commented [ND22]: uel consolidantem *add. super lin.*

Commented [ND23]: cum andrea *add. super lin.*

Commented [ND24]: cum iacobo *add. super lin.*

Commented [ND25]: [fol.115vb]

Commented [ND26]: petrum et iohannem *add. super lin.*

Commented [ND27]: [fol.116ra]

ciuitatem samaritanorum non intrate. Ite autem magis ad oues, quae perierunt domus israel. Ne enim estimetis ait, quia michi conuittantur et demoniacum uocant, quoniam odio habeo eos, et auerto. Et primos eos emendare studui, et ab omnibus aliis uos abducens, his mitto doctores et medicos. Et non solum ante hos aliis annuntiare prohibeo, sed neque uiam quae illuc fert, tangere concedo. Neque in ciuitatem samaritanorum introire. Etenim samaritani contrarie ad iudeos dispositi erant, quamuis faciliora erant quae illorum erant. Multo enim **aptius** ad fidem **habebant**, quae autem horum erant, difficiliora erant. Sed tamen ad difficiliora mittit, procuracionem quae circa eos erat ostendens, et ora iudeorum obstruens, et antea uiam faciens doctrinae apostolorum, ut non rursus incusent, quoniam ad **preputium** habentes introierunt, iustam uideantur causam habere fugiendi eos et auertendi. Et oues eos uocat quae perierunt, non quae abscesserunt, undique ueniam eis excogitans, et attrahens eorum **consilium**. Euntes autem ait, predicate dicentes. Appropinquauit regnum caelorum. Vides ministerii magnitudinem? Vides apostolorum dignitatem? nichil sensibile precipiuntur dicere, neque qui circa moysen et prophetas anteriores, sed noua quedam et inopinabilia. Non enim talia predicabant illi, sed terram, et quae in terra sunt bona, hii autem regnum caelorum, et quae illic sunt uniuersa. Non hinc autem solum hii maiores sunt, sed et ex oboedientia. Neque enim tardant, neque pigritantur, quemadmodum ueteres. Sed quamuis pericula et prelia, et intolerabilia audientes mala, cum multa suscipiunt **persuasionem** quae iniungebantur, ceu regni precones existentes. Et quid mirabile ait, si nichil triste predicantes, et difficile, obediunt facile, quid dicis, nichil difficile iniuncti sunt? **Non** audis carceres, inductiones, prelia contribulium. Oda ab omnibus, quae uniuersa, postmodum eos passuros esse dixit. Aliis enim decemmilium futuros bonorum tributores et precones, misit. Eos autem intolerabilia mala passuros esse dixit, et predicebat. Deinde faciens eos dignos fide, ait, infirmos curate, leprosos mundate, demones eicite, gratis accepistis, gratis date. Vide qualiter morum diligentiam habet, non minus quam signorum? monstrans quoniam signa sine his, nichil sunt. Etenim tumorem eorum comprimit dicens. Gratis accepistis gratis date. Et ab amore pecuniarum mundos esse preparat. Deinde ut non uideatur eorum esse directio, nichil **largimini** suscipientibus uos. Non enim mercede haec accepistis, neque laborantes. Mea enim est gratia. Ita igitur et illis date. Neque enim est pretium **eorum dignum** inuenire. Deinde et radicem confestim malorum euellens ait. Ne possideatis aurum, neque argentum, neque aes, in zonis uestris, non peram in uia, neque duas tunicas, neque calciamenta, neque uirgam. Non dixit, non accipite uobiscum, sed etsi aliunde possibile sit accipere, fuge pernitiosam hanc egritudinem. Etenim multa per hoc emendabat. Vnum quidem non **suspectos** faciens discipulos, secundum autem ab omni eos eruens sollicitudine, ut uacacionem omnem sermoni tribuant, tertium, docens eos suam uirtutem. Hoc nempe eis et postea dicit. Numquid defuit quando misi uos nudos, et discalciatos? non confestim dixit, ne possideatis, sed quando dixit, leprosos mundate, demonia eicite, tunc dixit nichil possideatis. Gratis accepistis, gratis date, et quod conferebat per negotia, et quod decebat eos, et quod possibile erat, tribuens. Sed et fortassis dicet aliquis, quoniam alia quidem ratione haberent. Non habere autem peram in uia, neque duas tunicas, neque uirgam, neque calciamenta, qua de causa iniunxit? in omnem eos diligentiam excitare uolens. Quia **et** superius neque pro superuenienti die sollicitos esse concessit. Etenim et orbi terrarum doctores eos erat missurus. Propter hoc et angelos eos ex hominibus ut ita dicam construit, ab omni absoluens uitae huius sollicitudine, ut una sola detineantur cura, quae est doctrinae. Magis autem et ab illa eos absoluit dicens. Ne solliciti sitis, qualiter uel quid loquemini. Quare quod uidetur ualde honorosum esse et graue, hoc maxime **lucas** ostendit et facile. Nichil enim ita gaudere facit, ut a cura et sollicitudine erutum esse, et maxime cum **possibile fuerit**, ab hac erutos in nullo minorari, deo presente et pro omnibus eis effecto. Deinde ut non dicant, unde ergo necessario cibo,

Commented [ND28]: illis add. super lin.

Commented [ND29]: se add. super lin.

Commented [ND30]: preputiatos add. super lin.

Commented [ND31]: uel mentem add. super lin.

Commented [ND32]: deuotioni add. super lin.

Commented [ND33]: [fol.116rb]

Commented [ND34]: ait add. super lin.

Commented [ND35]: eis signorum add. super lin.

Commented [ND36]: suspicabiles add. super lin.

Commented [ND37]: [fol.116va]

Commented [CN38]: leue eis cor. super lin.

Commented [ND39]: uel licebit add. super lin.

potiemur? non dicit eis, quoniam audistis quoniam dixi uobis antea, inspicite ad uolatilia caeli. Nondum enim erant potentes, preceptum hoc, per opera ostendere, sed quod multum isto erat defitientius, induxit dicens, dignus operarius cibo suo est. Manifestum quoniam a **discipulis** eos cibari oportebat, ut neque ipsi magna sapiant aduersus eos qui docebantur, ut omnia prebentes, et nichil accipientes ab ipsis. Neque illi rursus abscondantur despecti ab his. Deinde ut non dicant mendicantes igitur nos iubere uiuere, et uerecundentur in hoc, monstrat hoc debitum existens, et operatores eos uocans, et quod datur mercedem nominans. Ne enim quia in sermonibus est operatio ait, estimetis parum esse beneficium, quod est a uobis. Etenim labores habet hoc multos, et quicquid dederint qui docentur, non largientes prebent, sed retributionem reddentes. Dignus enim operarius cibo suo est. Hoc autem dixit. Non **tanto** apostolicos ostendens labores dignos, Absit, sed et illis legislationem inducens, nichil amplius querere. Et tribuentibus suadens quoniam non munificentia quod fit ab ipsis est, sed debitum. In quamcumque autem ciuitatem uel **castellum** introieritis, inuestigate, quis dignus in ipsa est et illic manete, donec exieritis. Neque enim quia dixi ait, dignus operarius cibo suo est, omnium uobis ianuas aperui. Sed et hic multam iubeo facere diligentiam. Hoc enim et in gloriam uobis proderit, et in ipso **cibari**. Si enim dignus est, omnino dabit cibum, et maxime cum nichil amplius necessariis **pietatis**. Non solum autem dignos iubet querere, sed neque domum ex domo transmutare. Vt neque suscipientem contristent, neque ipsi opinionem accipiant castrimargiae et leuitatis. Hoc enim ostendit dicens, illic manete donec exieritis. Et hoc ex aliis euangelistis est addiscere. Vides qualiter eos, et **ita** honestos fecit, et suscipientes in agoniam immisit? Monstrans quoniam ipsi magis sunt quod lucrantur, et in gloriam, et in utilitatis rationem? Deinde hoc ipsum rursus instruens ait. Intranses autem in domum, salutate eam, et siquidem fuerit domus digna, ueniat pax uestra super eam. Si autem non fuerit digna, pax uestra ad uos reuertatur. Vide usque ad quod non rennuit **informare?** et ualde decenter. Athletas enim eos pietatis, et precones construxit orbis terrarum. Et ita et immoderate sapere eos instruens, et concupiscibiles faciens ait. Et quicumque non susceperit uos, neque audierit sermones uestros, exeuntes domum, uel ciuitatem illam excutite puluerem pedum uestrorum, Amen dico uobis, tolerabilius erit terrae sodomorum et gomorrae in die iudicii, quam ciuitati illi. Non enim quia docetis ait, propter hoc expectate ab aliis salutari, sed anteceditate honore. Deinde monstrans quoniam non salutatio est hoc, sola, sed benedictio, si fuerit ait digna domus, ueniet super ipsam. Si autem conuitiata fuerit, prima quidem pena est non proficere a pace, secunda autem quoniam quae sodomorum sunt, patietur. **Et** quid ad nos ait est illorum poena? habebitis dignorum domos. Quid autem uult, excutite puluerem pedum uestrorum? uel ut ostendat quoniam nichil acceperunt ab ipsis, uel ut in testimonium eis fiat beati itineris, quod missi sunt propter eos. Tu autem michi intende qualiter nondum omnia eis tribuit. Neque enim presentiam interim eis largitur, ut discant quis dignus, et quis non talis est. Sed circumscrutari, et experientiam expectare iubet. Qualiter igitur ipse apud publicanum manebat? quoniam **effectus** est ex transmutatione. Tu autem michi intende, qualiter omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens in domibus eorum qui docentur manere, et nichil habentes introire. Ita enim et a sollicitudine eruebantur, et illis suadebant, quoniam propter eorum aduenerunt salutem solam, et in nichil inferendo, et in nichil ab eis amplius necessariis expetendo, et non ad omnes simpliciter introeundo. Neque enim a signis eos uolebat apparere claros solum, sed et ante signa propria uirtute. Nichil enim ita designat philosophiam, sicut non superfluis uti, et secundum quod possibile est nullo indigere. Hoc et **pseudo** apostoli nouerant. Propter hoc et paulus dicebat, ut in eo in quo gloriantur, inueniantur sicut et nos. Si autem in aliena patria existentes, et ad ignotos abeuntes, nichil amplius oportet petere, cotidiano cibo, multo magis domi manentes.

Commented [ND40]: suis add. super lin.

Commented [ND41]: id est cibo solo add. super lin.

Commented [ND42]: [fol.116vb]

Commented [ND43]: nobis add. super lin.

Commented [ND44]: uel petatis add. super lin.

Commented [ND45]: in hoc add. super lin.

Commented [ND46]: eos add. super lin.

Commented [ND47]: [fol.117ra]

Commented [CN48]: dignus add. super lin.

Commented [ND49]: mendaciter add. super lin.

Haec non audiamus solum, sed et imitemur. Non enim de apostolis dictum est solum, sed et de sanctis qui postea sunt. Fiamus igitur eorum digni susceptione. A consilio enim suscipientium, et pax hec uenit, et abscedit rursus. Neque enim solum a docentium presentia, sed ab eorum qui suscipiunt dignitate, hoc fit. Neque paruam estimemus esse iacturam, non potiri tali pace. Hanc enim et propheta presonat dicens. Quam pulchri pedes euangelizantium pacem. Deinde eius dignitatem interpretans, induxit euangelizantium bona. Hanc et christus magnam existentem, enuntiauit dicens. Pacem dimitto uobis, pacem meam do uobis, et oportet omnia facere, ut ea potiamur et in domo et in ecclesia. Etenim et in ecclesia qui presistit, dat pacem. Et hoc eius est typus id est mos, et oportet cum omni eum suscipere desiderio, consilio ante mensam. Si enim a mensa non participare est honorosum, eum qui dicit offendere quanto magis utique est difficilius? Propter te sedet presbyter. Propter te stat doctor laborans, et miserias patiens. Quam igitur habebis excusationem? Neque susceptionem que est ab auditione ei tribuens. Etenim domus communis omnium est ecclesia. Et preassumentibus uobis, intramus nos, illorum typum conseruantes. Propter hoc et communiter omnibus pacem indicimus intrantes confestim secundum legem illam. Nullus itaque sit deses, nullus occupatus ingredientibus sacerdotibus et docentibus. Neque enim parua in hoc imminet pena. Etenim uellem utique ego decemmilies in domum alicuius uestrum intrans expelli, quam hic dicens non audiri. Hoc michi honorosius est illo, quia et principalior est haec domus. Etenim magnae nostrae hic iacent possessiones, hic nostra spes omnis est. Quid enim nonne hic magna et terribilia sunt. Etenim mensa haec multo honorabilior, et delectabilior, et lucerna, lucerna. Et nouerunt quicumque cum fide oleo utentes, egritudines soluerunt. Sed et archa haec, illa archa multo melior, et magis necessaria. Non enim uestimenta, sed helemosinam habet inclusam. Etsi pauci sunt qui eam possideant, hic et lectulus, illo est melior. Diuinarum enim scripturarum requies, omni lectulo est delectabilior. Etsi bene esset nobis, neque aliam haberemus, preter hanc domum. Et quoniam non honorosum est quod dictum est, testantur tria milia, et quinque milia hominum, qui domum, et mensam, et animam habuerunt unam. Multitudinis enim credentium ait, erat cor et anima una. Quia autem multum ab illorum deficiamus uirtute, et habitamus secundum domos, saltim cum huc congregamur, cum desiderio hoc faciamus. Etsi enim in aliis pauperes et inopes sumus, saltim hic suscipite cum amore intrantes nos ad uos. Et cum dixero pax uobis, deinde dixeritis, et spiritui tuo, non uoce solum, sed et consilio dicite, non ore, sed et mente. Si autem hic quidem dixeris pacem, et spiritui tuo, exterius autem me impugnas, expuens, et accusans decemmilibus latenter lacerans obprobriis, qualis est haec pax? Ego enim etsi decemmilies accusaueris, cum mundo corde pacem tibi do, cum sincero consilio, et pernitiosum nichil possum aliquando de te dicere. Viscera enim habeo paterna, etsi increpauero aliquando, procurans hoc facio. Tu autem latenter mordens, et non suscipiens me in domo dominica, formido ne rursus michi tristitiam augeas, non quia conuitiatus es, neque quia expulsisti, sed quia pacem eiecisti, et difficilem illam adeptus es poenam. Etsi enim non excussero puluerem ego, etsi non auertero, minae immobiles perseuerant. Ego enim indico uobis multotiens pacem, et semper hoc dicens non quiescam. Si autem cum conuitiis est et non susceperitis, neque ita puluerem excutiam, non quia non oboedio dominatori, sed quia ualde uos diligo. Autem, autem, neque passus sum quid propter uos, neque longam ueni uiam, neque cum habitu illo, et cum abiectioe possessionum ueni. Propter hoc primum nosmetipsos incusamus, neque sine calciamentis, et secunda tunica. Propter hoc fortassis, et quae a uobis sunt derelinquitis. Verumtamen non sufficit hoc uobis ad excusationem, sed nobis quidem iudicium maius, uobis autem ueniam non hoc prestat. Tunc domus ecclesiae erant. Nunc autem et ecclesia domus facta est. Nichil erat uitae huius tunc in domo loqui. Nichil est nunc in ecclesia spirituale dicere, sed et huc quae ex foro sunt introductis, et deo loquente, dimittentes

Commented [ND50]: Morale xxxii. quoniam apostolorum ordinem complet qui presistit in ecclesiasticis symbolis, et de eo quod oportet uirtuti magis adaptari, quam signorum inquirere uirtutem. Maius enim est uitam habere uirtuosam, quam signa perficere. *notum in marg.*

Commented [ND51]: uel susceptiones *add. super lin.*

Commented [ND52]: uel mente *add. super lin.*

Commented [ND53]: [fol.117rb]

Commented [ND54]: uel ostendit *add. super lin.*

Commented [ND55]: uel dicentem expellere *add. super lin.*

Commented [ND56]: aliis *add. super lin.*

Commented [ND57]: illa *add. super lin.*

Commented [ND58]: que in domo *add. super lin.*

Commented [ND59]: haec *add. super lin.*

Commented [ND60]: illa *add. super lin.*

Commented [ND61]: [fol.117va]

Commented [ND62]: singulae *add. super lin.*

Commented [ND63]: [fol.117vb]

cum silentio quae dicuntur audire, contraria afferentes commiscetis. Et utinam uestra, nunc autem quae nichil uobis attinent, et dicitis, et auditis. Propter hec lugeo, et lugens non quiesco. Neque enim possum domum hanc transmutare, sed hic necesse est manere, donec ex presenti exierimus uita. Suscipite igitur nos, sicut et paulus iussit. Neque enim de mensa illic ille dixit, sed de consilio et mentem, hoc et nos a uobis querimus caritatem dilectionem illam uehementem et propriam. Si autem neque hoc patimini, saltem uosipsos diligite, presentem deponentes desidiam, sufficit hoc ad consolationem nobis, si uiderimus bene prosperantes, et effectos meliores uos, ita et ipse maiorem ostendam dilectionem. Etsi habundantius diligens, minus diligar. Etenim multa sunt quae nos congregant, et una mensa preiacet omnibus, unus genuit nos pater easdem soluimus pressuras nos omnes, idem potus omnibus datus est, magis autem non solum idem potus, sed ex uno calice. Pater enim uolens nos in dilectionem inducere, et hoc studuit, ex uno calice bibere nos, quod intensae est dilectionis, sed non sumus digni apostolis nos? Confiteor et ego et non negabo. Non solum enim illis, sed neque umbra illorum nos sumus digni. Sed tamen quae a uobis sunt fiant, in nullo uos istud confundere poterit. Sed et amplius prodesse. Cum enim et circa indignos tantam ostenderit dilectionem et oboedientiam, tunc maiorem accipietis retributionem. Neque enim nostra dicimus, quia neque est nobis doctor super terram, sed quae suscepimus damus, et dantes nichil plus inquirimus a uobis, quam diligi solum. Si autem indigni et hoc, sed a diligendo uos digni uelociter erimus, quamuis iussi simus non diligentes diligere solum, sed et inimicos. Quis igitur ita immitis, quis ita siluestris est, qui talem suscipiens legem, et eos qui diligunt auertet, et odio habebit, etsi decemmilibus malis repletus fuerit. Communicauius mensa spirituali? communicemus et amore spirituali. Si enim latrones communicantes sale, participant moribus, quam habebimus excusationem nos, corpore semper dominico participantes, et neque illorum imitantes mansuetudinem? quamuis multis non mensa solum, sed et ciuitatis esse unius, sufficit ad dilectionem. Nos autem cum et ciuitatem eandem habeamus, et domum eandem, et mensam, et uiam, et ostium, et radicem, et uitam, et caput, et pastorem eundem et regem, et doctorem, et iudicem, et conditorem, et patrem, et omnia nobis sint communia, qua erimus uenia digni ab inuicem diuisi? Sed signa exquiritis quae intrantes faciebant illi, leprosos mundatos, et demones abactos, et mortuos suscitatos? Sed et haec nobilitatis uestrae maxima est demonstratio, et dilectionis, sine pignoribus credere deo. Etenim propter hoc, et propter aliud quiescere deus signa fecit. Si enim non existentibus signis qui superhabundantiis aliis uegetantur, puta, uel sermone sapientiae, uel reuerentiae ostensione uane gloriantur extolluntur, abinuicem scinduntur, si et signa fierent, ubi non utique fierent scissiones? et quoniam non coniectura est quod dictum est, testantur corinthii in multas hinc diuisi partes. Non itaque signa pete, sed animae sanitatem, non quere mortuum unum uidere suscitatum. Etenim didicisti quoniam integer orbis terrarum suscitatur. Non quere caecum uidere curatum sed uide omnes respicientes nunc meliorem et utiliorem respectionem, et disce et tu sobrie uidere, et corrige tuum oculum. Etenim si omnes ut oportebat haberemus, magis utique miracula facientibus ammirarentur nos grecorum pueri. Signa enim et fantasiae suspensionem habent multotiens et aliam perniciosam estimationem, si et nostra non talia sunt, uita autem pura est nullam talem uexationem suscipere potest. Sed omnium precludit ora uirtutis possessio. Huius igitur diligentiam habeamus, multae enim eius sunt diuitiae, et miraculum magnum ipsa ueram libertatem tribuit, et in seruitute hac contemplari preparat, non eruens a seruitute, sed seruos manentes liberis ostendens honestiores, quod multo plus est quam dare libertatem, non faciens diuitem inopem, sed manentem inopem, diuite copiosiore ostendit. Si autem et signa uis facere, eruaris a delictis, et omnia explesti. Etenim magnus demon est, peccatum dilecte. Etsi hoc auferes, maiora decem mille demones abigentibus operatus es. Audi paulum dicentem, et uirtutem

Commented [ND64]: nos add. super lin.

Commented [ND65]: [fol.118ra]

Commented [CN66]: hoc add. super lin.

Commented [ND67]: uel ratione add. super lin.

Commented [ND68]: gentilium filii add. super lin.

Commented [ND69]: siquidem add. super lin.

Commented [ND70]: [fol.118rb]

miraculis proponentem, zelamini autem ait, charismata quae meliora sunt. Et adhuc secundum superhabundantiam uiam uobis ostendo. Et dicturus uiam hanc, non mortuorum dixit suscitationem, non mundationem leprosum non aliud talium nichil, sed pro omnibus his amorem posuit. Audi et christum dicentem. Non letamini quoniam demonia uobis oboediunt, sed quoniam nomina uestra scripta sunt in caelis. Et ante hoc rursus dicent michi multi in illa die domine, nonne tuo in nomine prophetauimus, et demonia eiecimus, et uirtutes multas fecimus? et tunc confitebor eis quoniam non noui uos, et quando crucifigendus erat, uocans discipulos dixit eis. In hoc cognoscent omnes quoniam mei discipuli estis, non si demonia eiciatis, sed si amorem habeatis in inuicem. Et rursus. In hoc cognoscent omnes quoniam tu me misisti, non si mortuos suscitauerint hii, sed si fuerint unum. Signa enim multotiens alii profuerunt, **habenti** autem obfuerunt. In elationem extollentia, et uanam gloriam, uel et alio modo aliquo. In operibus uero nichil tale suspicari est, sed et participantibus eis, et aliis multis, prosunt. Haec **itaque** cum multa diligentia operemur. Si enim ab inhumanitate ad elemosinam transmutatus fueris, siccam manum existentem extendisti, si spectaculis desistens ad ecclesiam ieris, claudicantem pedem correxisti. Si autem destiteris oculos tuos a meretrice, et pulcritudine aliena, caecos existentes aperuisti. Si pro sathanicis uis didiceris psalmos spirituales, mutus existens locutus es. Haec itaque miracula sunt, maxima haec signa sunt inopinabilia. Si haec signa fecerimus, et ipsi magni quidam et mirabiles per haec erimus, et pernitiosos uniuersos, ad uirtutem attrahemus, et futura fruemur uita, qua fiat omnes nos potiri, gratia, et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium, in secula seculorum amen.

Commented [ND71]: uel facienti *add. super lin.*

Commented [ND72]: [fol.118va]